

SCUOLA SUPERIORE DI CATANIA
Concorso di Ammissione – II prova scritta – a.a. 2009-2010
Classe delle Lettere e delle Scienze Sociali

Traduzione di un testo classico
Latino

Gellio, *Notti Attiche*

Virgilio e l'*Eneide*

Favorinum philosophum, cum in hospitis sui Antiatem villam aestu anni concessisset nosque ad eum videndum Roma venissemus, memini super Vergilio poeta in hunc ferme modum disserere: "Amici" inquit "familiaresque P. Vergilii in his, quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt parere se versus more atque ritu ursino. Namque ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque lambendoque id postea, quod ita edidisset, conformaret et fingeret, proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie et imperfecta, sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris et vultus liniamenta. Hoc virum iudicii subtilissimi ingenue atque vere dixisse res" inquit "indiciū facit. Nam quae reliquit perfecta expolitaque quibusque inposuit census atque dilectus sui supremam manum, omni poeticae venustatis laude florent; sed quae procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors praeverterat, nequiverunt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine atque iudicio digna sunt. Itaque cum morbo obpressus adventare mortem viderat, petivit oravitque a suis amicissimis inpense, ut Aeneida, quam nondum satis elimavisset, adolerent".